



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XXII. Monet Iudicij timorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

stra, quasi celeriter æs alienum exacturus: & vos mortem, nec per horam, cogitatis? Non placet mihi grauis obliuio hæc, ob quam puniui ciuitatem meam Ierusalem. Cùm enim essent sordes eius in pedibus eius, non est recordata finis sui. Si enim finem cunctorum uiuentium præuidisset, quomodo pedes inquinasset? Transitus illius memoria cor premit, ne altum sapiat; sed in timore, ac tremore salutem operetur. Propter quod, filij mei, inter negotia, & gaudia sæculi, frequenter mortis agonem, doloremque pensate: Ut per uias rectas iustitiæ; ac immaculatę legis meę, alacriter tendentes, in æternum non pereatis: sed tanquam fideles, ac solliciti serui, statim ac uenero, & pulsauero, confestim aperiatis mihi, & intretis in æternum gaudium Altissimi Patris mei.

## CAP. XXII.

*Monet Iudicij timorem.*

**Q**UI iustificari quæritis, timete abyssum iudicij mei, in quo causas omnes filiorum Adæ, cùm accepero tempus, iudicabo. Dum ego culpas hominum



minum diffimulo, ipsi quasi taūri pingues sine freno timoris exultant; Sed per memetipsum iuravi, quia mihi curuabitur omne genu. Ego faciā verbū in Israel, quod qui audierit, tinnient ambæ aures eius. Tacui enim, diu silui & patiens fui: sed in suprema die iræ, vt parturiens, cum impetu, loquar: Nunc parco, & mitissimo corde inimicos meos ad pænitentiam, & veniam voco: tunc verò, quando erit tempus, quale non fuit, ex quo gentes esse cæperūt, deducā oēs gētes in vallē Iosaphat & ibi disceptabo cum eis super nouissimo testamento meo. Ne abutimini, o filij, mansuetudine mea, quasi nunquā cū iudice acturi: omnes enim vos manifestari oportet ante tribunal meū, vt referat vnusquisq; pro vt gessit in corpore, siue bonū, siue malū. Misericordia mea superexaltat iudicium, vt postea tam seuerè puniā quàm misericorditer nūc ignosco. Timete irā meā pusilli, & magni, & per opera bona timorem futurum præcauete. Columnæ cæli contremiscent, & pauebunt ad nutum meum; nam in Angelica natura reperiam prauitatem: Quan-

to et-



to ergo magis æquum est, homines, qui habitant domos luteas, pauere iudicium meum, nec bibere, quasi aquam, iniquitatem? Placeat vobis paternis visceribus dignum consilium meum: Si me propitium, in die ultionis, videre desideratis, ante diem rationis, me tanquam iudicem expauescite. Viuite in multa cordis sollicitudine, mihi soli placere studentes; non enim proderit vobis fauor, aut gratia hominum, si me prius non placatis. Videte, quod ego sim solus, & nō sit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego viuere faciā, & non est, qui de manu mea possit erueri. Ego reddam ultionem hostibus meis: & ijs, qui oderant me, retribuam.

*Cap. XXIII.**Monet fugam peccati.*

**N**IHIL est, filij charissimi, quod iram meam prouocet, nisi peccatum: cuius causa, tactus dolore cordis intrinsecus, deleui, per diluuium hominem, quem formaueram; & excitatus sum ad puniendos inimicos meos. tan-